Veridicus

GALLICUS.

ADRIANOPOLI,
Apud *Iachimum Columbum*,
LXXI.

Veridicus Gallicus,

Ad S. Romani Imperii Principes, Ablegatus.

SUrgite mortui venite ad Judicium, feralem tubam Gallus insonat, extremum Libertatis perituræ diem Imperio, Belgio, totique Europæ nunciat Gallus, heus iterum ad Judicium mortui Reges, Principes, Respublicæ, quos omnes, qui non mortuos pœnè dixerim, siquidem ad extremum Gallicinium, neque expergiscan-

tur neque exſurgant; ſilet enim Aquila, ſtupet Leo, hæret Urſa, oculos habent, & non vident Imperii Principes, nonnulli auri ſcilicet, fulgore excæcati, cæteri ſeu enſem ſtringere minantur, ſeu audactius attollant caput, tanquam Gorgone terrefacti, aut velut in petram converſi obmuteſcunt, aut ad galli cantum etiam Leones ſilent, aut ſicut Barjona negant eum, pro quo mori decorum videbatur. Dii immortalis quanta immutata rerum facies; ubi nunc Bel-

garum

rum fortitudo; Germanorum fides, Imperii Concordia; cui nunquã non ignotæ fuerunt Gallorum nostrorum insidiæ, utinam non expertæ cum olim Gallos levitate & mobilitate ingenii novis semper imperiis studere dixit Cæsar, & nihil ac fidem Gallicam odistis Germani, cum vobis curæ fuit Germana fides, heu dudum exiit! De fide nostra gallica, ita Besoldus: Vestes astutis ingeniis prætextus speciosi, quibus id, quod moliuntur, palliare solent, deesse non con-

Lib. 1. in principio de Bello Gallico.

ſueverunt : & poſtquam exemplis hoc probavit; ſed cordati (inquit) & prudentes rerum æſtimatores prætextus illos execrantur, æſtimantes ejuſmodi velamentis tanquam malitioſis dolis ſcelus perfidiamque deteriorem reddi; At, ubi nunc cordati illi ? ubi Gallorum in Imperium perfidiæ heu notæ nimis memoria ! quæ ipſum Chriſtianæ Reip. hoſtem, hoſte illo deteriorem toties ad arma excitavit, & adhuc excitare non omninò dubio rumore fertur; ô nunquam ſatis de-

præ-

prædicanda Germanorum conſtantia? (ſi ad noſtra uſque tempora conſtanter duraſſet) dum Regem noſtrum Franciſcum primum, tanquam omnis diſſidii auctorem Ao. 1544. in Comitiis Spirenſibus eo quod Turcam ipſum in Cæſarem concitaſſet, hoc Elogio dignati ſunt.

So zachten wir Euch Churfurſten, Fürſten und Ständ des H. Römiſchen Reichs und den abweſenden Rähten, und botſchſchafften gedachten König in Franckreich, nicht weiniger dan den Turcken für einen gemeinen Feindt der Chriſtenheit zu halten, und derowegen ihnen gleich wie gegen den

Turcken, mit thätlicher handlung, und straff zu handlen, und umb so viel destomehr, dasz darausz andere Christliche Potentaten ursach schepffen mogen, sich kunfftiglich solcher unchristlicher handlung zu enthalten, und demnach haben sich Churfürsten, Fürsten und Ständ, und der abwesentlichen Räthen, und Bottschafften entschlossen, sich gegen gemeltem Konig in Franckreich nicht allein mit worten, sondern auch mit der tath zu erklären.

Quid adhoc S. Romani Imperii Proceres? an non modo pares, imo astu longè pluri cuniculos agit Ludovicus noster XIV. Testis Cretæ regnum, quæ medio *Virg.* jacet Insula ponto, nuperrime Venetis ereptum. Testis Co-

Colignius poſtremum in Hungariam exitiales laturus ſuppetias, niſi à Ficilladeo Arcani Regis noſtri mandati inſcio ad pugnam ad S. Gothardum, etiam invitus adductus fuiſſet. Teſtis haud ſolito honore exceptus, & ipſe Regi apud Pariſios exercitus luſtrator legatus Turcicus Muſta Serraga. Quid quod Rex noſter Solimannum induiſſe videtur? eloquar an ſileam? eloquar dum pacem ſimulat, bellum gerit, ne quidem ut gentium jura volunt prius indictum;

dum vicinis amicum ſe ſpondet, obruit, ſpoliat, pellit; dum mulcet percutit, quod vi nequit, nummis, aſtu, imò (vera tamen non aſſero) toxico fortè conatur, dolus enim an virtus quis in hoſte requirat? Illi aliena rapere, virtutis fidem frangere, ingenii, incautos obruere, prudentiæ, gentium jura violare ſolertiæ eſſe agunt, innatâ regibus noſtris aſtutiâ jure hæreditario acquiſitâ. Teſtem hujus adduco Boclerum, dum ait: notiſſima perfidiæ ars fuit Henrico XI. Galliæ Regi,

Bocle. de Illuſtr. Sta t. & polit. lib. 8. cap. 6.

Regi, qui sub prætextu defensionis Imperii civitatum miro astu tres urbes imperii munitissimas sibi adjunxit, id quod etiam Argentorati, sed frustraneo, & irrito conatu attentavit. Antiqua hæc esse, si quis dixerit, recentiora miremur. Bellum scilicet inter Anglos & Batavos nuper excitatum, utrique promissas neutri tamen submissas suppetias. Mulieres gallicas dissidii telas texere probè edoctas Imperii Principibus in uxores missas. Heroes & Sampsones ab his Dalilis

viribus exutos, excæcatos, & à Germana fide abductos. Gynæcæum nuper cum Aurelianensi in Angliam trans mare ablegatum, ut triplicis fœderis tranquilitatem, fœda diffidii tempestate fœdaret, non absimili modo inimica, Juno Virg. secund. Æneid. Æolum, de Yama in præmium addicta, ut exitiale in Æneæ classem, turbaret mare; allexerat Pontificem Romanum à Christianissimo nostro (si Diis placet) obtemperare, & se ipsum Pyramide exstructa, fœdâ in posteros memoriâ, & sic

Patrem

Patrem erga Ecclesiæ Filium damnare jussum Belgium spreto pacis, & super sacro Euangeliorum codice, dicto Sacramento pœnè obrutum. Lotharingum (stupendum facinus) inermem & incautum jure eodem Francico, quo olim Carolus simplex Conradum Lotharingia expulit (sicut fecêre Reges alii in alios Lotharingiæ Duces) ditionibus cedere coactum. Hungariam perduellibus refertam, & Poloniam in se ipsam concitatam, & his & similibus Imperii machinationibus

Traite de Pise.

tionibus antea Septem, nunc octoviris exitium intentari, quis est qui ambiat? ad judicium igitur à vobis metipsis pronunciandum vos compello reges & Imperii proceres: vos vel maxime, quibus periclitanti nuper Belgio, ceu circulo Burgundico Imperii membro opitulari nefas, Cæsarem ne suppetias illinc mitteret, è re Imperii fœdus Rhenanum in propriam perniciem texere, perquàm utilissimum videbatur. Judicate modò, quantùm illa in vestram perniciem vergant;

gant;

gant; Ah fera nimis Nicephori Imperatoris effati memoria, τον φράγκον φίλον εχῆ γείτονα οὐκ ἔχης Francum amicum habeas, vicinum non habeas, Vicinum jam habetis Gallum viciniffimum, cum fublata, quæ media inter vos erat Lotharingia, ne dicam auferenda Burgundia, & Luxemburgo, liberrimus usque ad Rhenum pateat aditus. Quis enim refiftet? Non dolet enim de pulfo Lotharingo Palatinus, ob illatam ante pauculos annos copiis fuis, ad Ingelheimianam vallem, cladem.

Mo-

Moguntiaco ad Galli adventum migrandum erit civitate, non ſibi ſed huic munita; Haſſus Rheinfeltijus ſpe lactatus inani, binis caſtellis hinc inde ſitis carebit ocyus. Trevirenſis ſpeculæ Erenbreitſteinianæ incluſus hærebit anxius: Colonienſis non ſuo ſed Egonis arbitrio vivens nihil recludet Gallo: huic Juliacenſis dudum libertatem vendidit, his duobus intercluſa Colonia tanquam inter malleum & incudem anguſtianda & ſubjuganda vix ſubſiſtet, invitis etiam

Bata-

Batavis & Hanſiatica confœderatione exploſa, en Rege noſtro Rheni tractū, ne ſtricto quidem gladio? (quandoquidem id culpa veſtra fiat ô Germani!) inditionem ſuam redigendum: ab altera Rheni parte Bavarus, ad antiquas cum Auſtriaco ſimultates P. Privigniano excitante Egonibus & Egoniſtis inſtrumentibus inſtigatur. Sileo quæ in Saxonia, & Haſſia ſuſcitantur, ne arcana eloquar veſtro damno notificanda. Et quidem diſſidium gallus inter Brunswicenſes

censes gigneret ? addita spe de Batavis à adipiscenda præda, quibus cominus minatur, Gallus Insulam Monasteriensem in galeam prædam, in gladium mirabili Metamorphosi convertens : deinde Britannum à triplici fædere ut vocant, nunc minis, nunc cuniculis nummeis, mox oblatis ditionibus, & civitatibus licet nondum, & forte nunquam suis, imò nescio quibus histrionicis, machinationibus in partes suas attrahere conatur. Testis ridiculo modo digna dante accipiente

cipiente Buckingantio nuperrimè a Valleria & Montespana, inter salticulationes & tripudia Regis nomine facta, donatio gladii cum Balteo ingentis pretii, dignum quidem munificentia regia, dignum Legato regio munus, indignum autem facinus virum Galli jussu à gallinis duabus gladio accingi. Infinitus essem, S. Rom. Imperii Proceres, si omnia quæ ad Orientem excitat ad Occidentem machinatur, ad Meridiem turbat, ad Aquilonem minatur, Rex noster,
calamo

calamo perſtringere liceret. Et quid ultra ediſceram, cum nota ſint hæc vobis dudum omnia: ſcitis enim viri Sereniſſimi, Illuſtriſſimi, quod ante annos non ita multos claſſicum gallicum cecinit ineptiens Caſſianus noſter: arma apud vos ſuppeditabit Hypolitus noſter à lapide, & nuper vos omnes, ditiones veſtras, imo totum Imperium Regi noſtro tanquam ſuum, ſi non in re, ſaltem in ſpe adducendo nugatus eſt Auberius: ſed quid interim, vos Imperii Proceres? delibera-
tur

tur in Comitiis de Capitulatione Cæſarea, & ſic quibus mediis a vobis Imperatori (pudeat) imperetur, de uno alterove in dominiolum, reintegrando, dum totum Burgundiæ Circulum, libertatis veſtræ, ſi quæ reſtat propugnaculum, Lotharingiam ante-murale veſtrum eripi non curatis, & hoſti veſtro infenſiſſimo, tanquam Sirenum vocibus hebetanti victas traditis manus, aut velut aſpidis veneno intoxicati priùs vos mortuos, quàm morſu ſaucios eſſe animadvertitis.

Tandem

Tandem dicet vestrum aliquis è somno surgimus, de securitate enim Imperii cogitatur, de modo ex ordine istam tractandi materiam, de milite, utrum pari vel impari numero conscribendus, (& cur non etiam uter numerus faustus vel infaustus sit,) de præfectis exercitus eligendis, cujus religionis, an alternativè, an simul imperandum, de belli nervo pecunia corradenda, sed quid Rex noster, dum verba dat verberat, & fulminis ocior alis, ante ferit quàm micat, illius Taciti de Cereali non

non immemor, qui parum temporis ad exequenda consilia dabat, subitus consiliis sed eventu clarus. Cavete ne è contra de vobis dicatur, quod idem Tacitus de Valente, qui inutili cunctatione agendi tempora consultando consumebat, & tritum illud dum Romæ deliberatur, Saguntum petit, imò vos Archimedi absimiles esse dicere liceat, qui dum lineas & circulos in arena effingeret cervici suæ gladium irati militis imminere non attendebat. O deplorandum Imperii vestri statum!

Lib. 5. Hist.

Lib. 3. Hist.

ſtatum ! ô cæcitatem capite veſtro luendam, dum Gravellus in Comitiis, Gremonvillus in aula Cæſaris, Gaumontius ad Rheni tractum, Gaſſanus apud Saxones & horum aſſeclæ, nunc percurſores, nunc auſcultatores, mox inſequentes & ſuggeſtores Egones quaqua verſum vagantur; ubique oculos faſcinant, licet vobis cuncta eripienda videntes, non majori tamen ad præcavendum conatum, quam illi nonnunquam, qui rem familiarem a furibus auferri vident, ſtupent

mirantur,

mirantur, torpent dum prę-
ſtigiis eluduntur oculi, &
vox faucibus hæret, inter-
ea (pace veſtra id dixerim)
ſiquis aliter quàm liberos
imperii Status vos compel-
let nefandum dixiſſe vide-
tur, cum tamen nihil in vo-
bis quod liberum ſapiat,
appareat, ſiquidem Gallo
potiùs quàm Aquilæ parea-
tis, licet unica Germano-
rum libertas inexpugnabi-
lis ferè Romanis olim fue-
rit, quippe Arſacis regno
acrior fuit Germanorum
libertas: at ite nunc cum
Jugum vobiſmet ipſis im-

ponitis,pro torque vincula, pro armillis, manicæ & compedes ornamento vobis videntur: expergiſcimini tandem ſomnum excutite, maturate conſilia, apprehendite arma pro aris & focis, pro patria pro liberis, ne ultro vobis illudat Leonius noſter Regi ſcribens, nihil ab Imperii magnatibus timendum ſibi, ob conſiliorum tarditatem, a cauſe de la Lenteur des deliberations de l'Eſtat de l'Empire. Educite Germanas acies, pro libertate decertate, ne forte eadem vos

Monsr du Lion

pœna

pœna maneat, quæ Lotharingi ſubditos in Eſpinalio pro Carolo Duce pugnantes, ad triremes tamen damnatos ob ſpretum Crequivii Juſſum, vetantis ne ſubditi arma pro patria in Caroli hoſtem Gallum capeſſerent. Et quis mortalium hæc vidit uſpiam? ubi gentium audivit talia? in hoſtem pugnare Jure gentium licet, hoc tamen ſtrenuis ſubditis vetat Gallus, majori imperio, quam propriis, ac ſi unicus illi pareret orbis, ac ſi omnes ut obtemperent pœnis adſtringere

 liceret.

liceret. Sed quo jure ista nisi Gallico? quæ horum ratio, nisi ratio ultima Regum, quo lemmate velut belli tessera tormentis quiescimus, intumescimus & gloriamur: sileo rationes alias, siquidem ultima hæc est, sive rationum ratio: unum lubet addere. Dum vix sesqui annum ageret Rex noster, monetam cudimus Æneam, effingebatur in ea puer Regius, caput lauro redimitus, Justum Hercule infantis dextra levaque serpentem premens, pede dextro Leonis, sinistro Aquilæ

caput

caput calcans, hac Epigraphe, *Sunt vincendi.* Hæc præludia mundi prælusêrunt, jam ab illo tempore, præludia calamitatum veſtrarum, mox inſequendæ tragædiæ. Ecquis neſcit Regalium Ludowici decimi quarti effigiem Herculem caudatum & Leonis Belgici ſcilicet exuviis onuſtum hydrum ſeptempidem, qua vos Imperii Septemviros ſignificabat, vinctum ducentem in aula Pariſienſi ſpectandam præbuiſſe? ô indigna animis veſtris Ludibria! ô mira animorum

veſtrorum torpedo! ô Lethalem imperii Lotharingici morbum, hæccine obviam hoſti veſtro jubebant? Magnum eſſe videtur veſtrum Regis captare amicitiam, dum incautos in caſſes agit. O vos Imperii membra! primum à capite avellit, avulſos dilaniat, vos invicem in vos metipſos concitando, prout Regi noſtro ſuadebat Anno 1667. idem qui ſupro Leonius noſter, poſtquam aliquos veſtrum ab Imperii auxiliis circulum Burgundicum ſibi aſtrinxerit, cum ajebat. Videte

dete vaferrimum & in caput veſtrum ſuggeſtum gladium, dum vos dividendo in diſcordiam mergendos ſuadet, ut alter alteri tollat, quod juſto & avito poſſidet jure, ut homo homini lupus fiat, & in vos invicem tanquam ex Cadmi ſerpente dentibus è terra prognati pugiles ſæviatis: plura dicerem niſi vobis jam dudum innotuiſſent; & quandoquidem innotuerint, quid hæretis? vim vi, cuniculos aperto marte, amicum hoſtem ut inimicum, & fidem (pudet

ſateri) noſtram Gallicam Germana quaſi poſtliminio ab exilio revocata repellite, dum Burgundiæ Dux Carolus audax re & nomine Noveſium obſediſſet, affluxère undique Germanorum Imperii vires, ut eum loco pellerent, ipſe Monaſterienſis Epiſcopus ut Author Cominæus ſolus tria armatorum millia viridi veſte indutorum ſuppetiatum mittebat. Nunc ubi laqueus jam jam conſtingendus collo injicitur, ſtertere omnes, nullus hiſcere neque muſcitare. Contem-

nenda

nenda hæc esse, dicet forte vestrum aliquis addictus nobis & nimium habere dicacitatis. Si contemnatis, de vobis actum est, conclamatum est, unicus non sum natione Gallus, qui Regis nimium improbabit imperium; timent omnes qui futura & justum dei judicium ominantur: nedum jura gentium spernit, pœna licet nobis omnibus deploranda, ob non servatam fidem, & dum alienis inhiat propriis (non inani pientissimæ Reginæ matris vaticinio) ejiciatur, secundum

caput, in aula, in castris, in ipso Regis conspectu seu joco, seu serio, aliqui vestrum aut saltem legatorum vestrorum audiverint, non minori, quam olim Romani solebant licentia. Currus triumphantiũ prosequentes, Cæsari enim de Gallis triumphanti (ita triumphabit etiam nunc Cæsar si velitis) acclamatum fuit: Urbani servate uxores vestras, mechum calvum adducimus, aurum in Gallia effodisti, hic sumpsisti mutuum. Regis mei veneror sacratum caput, laudanda

in

in illo omni laude, vituperanda omni vituperio digna esse pronuntio: absit tamen ut simile de Rege meo & Cæsare illo asseram; illud tamen timendum est, nequod in vestrum aliquos & per Germaniam per aliquot abhinc annos effudit, aurum, non ut mutuum, sed cum fænore, non in asse sed in cute, imò captivitate vestra luendum exacturus sit usque ad novissimum quadrantem: mementote o fida germanorum olim pectora, Titi illius Livii, Gallorum prima prælia plusquā leonum

num esse, postrema minùs quàm fœminarum; est opprobrium. Ne vos terreant belli apparatus, fastu nobis non insolito conflati, vestes auro argentoque pictæ, pileoli cristis onusti, enses aureis argenteisque capillis inserti, crepundiæ sunt, si vultis, Germanis viribus impares, & ad prædam sicut Alexandri in Darii milites excitantes. Illorum impetus non magis metuendi, quàm Zedechiæ medici insignis sub Ludovico Imperatore, magi illusoriæ vires, qui hominem in aërem jactabat,

ctabat, in membra discerpebat, & ea recollecta adornabat, & currum fæno onustum cum equis & agitatore coram populo toto absorbebat, ut scribit Trithemius. Terriculamenta hæc erant meticulosis. Metum nescire solebat germanum pectus, ideoque non magis in re ipsa, de Gallo, quam de terriculamentis illis timendum vobis si velitis: siquidem Gallis nostris non parcere, fugientes insequi, si resistat quispiam, statim flectere, deprecantes pusilanimes non exaudire,

cor-

cordatos non pertimeſcere, ſi vincantur ſubmiſſiſſimos eſſe ferunt, experti ſunt omnes bello periti. Longè grandiore hiatu quam Zedecias ille ſolebat, jam vos in ſpe devoravit Rex noſter; ſpe dico ab Egoniſtis addita, qui vos ô Germanos in caſſes agere conati ſunt & conantur, & devorabit vos me hercule, & ſuos, ſiquidem Treviros, Coloniam, Moguntiam tanquam intra fines Galliæ (& Auberius ait) ſitos, Imperium verò velut avitum à Carolo Magno debitum
patri

patrimonium, si Cassiano & Auberio aliisque nugatoribus credendum est; pari ratione Belgium nuper uxorio nomine suum vendicare contendebat, & vendicasset totum vel potius rapuisset, si Britanni, & Batavi eadem, qua Imperium vecordia circulum Burgundicum sibi avelli dissimulassent, & vicinum opprimi non vetuissent. Amici Gallo sumus inquiet vestrum aliquis, amico respondeo, eodem vos jure habebit Gallus, quo Romani olim auxiliatores & fautores, post-
quam

quam rebus optatis potiti fuerant, ſub jugum mittere veriti non ſunt. Hiatum hunc obſtruere deſideratis? Contemnite fidem hanc Gallicam, Germanam dudum extorrem ab exilio revocate, bellorum apparatus noſtros & minas non minori animo quam Conſul Romanus ille Spernite, qui Pyrro abſtracto velo Elephantem ſuſtentanti illudebat, Plutarchus in vita Pyrrhi: mementote Appii Claudii qui cœcus etiam (& veſtrum multi jam excæcati ſunt) ad Senatum

pheretro

pheretro delatus Remp, Romanam ad incitan pœnè redactam restaurabat. Hosti gentium jura violanti recte ibidem objiciendum, quod Spartani Antigono, qui nescio qua fraude bello minime indicto (ut nos jam solemus) ditionem eorum ingressus erat: Si Deus es ajebant te non timemus, quia te non offendimus, si homo es audaciores te & fortiores apud nos invenies, & tales apud vos inveniamus tempus monet, moras rumpite, cladium vicinis jure Gallico illatorum

rum vos terreant veſtigia: rumpite moras, reſiſtite fortes vicinis jam prope proſtratis: arma jungite ſocia & ſic extra Imperii Rhenum cumulati alienis ſpoliis ſubſiſtant, imo obviam ite & ſi aut ſub Aquila Aquilæ cum Leone Leones, vel ſub Gallo Gallinæ eſſe malitis, eligitote & valete; ſed ſapire.

Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum.

101

DE SALVBERRIMA POTIONE CAHVE, SEV CAFE Nuncupata DISCVRSVS

FAVSTI NAIRONI BANESII
Maronitæ,

Linguæ Chaldaicæ, seu Syriacæ in Almo Vrbis Archigymnasio Lectoris

Ad Eminentiss. ac Reuerendiss.

PRINCIPEM

D. IO. NICOLAVM

S.R.E. CARD.

DE COMITIBVS.

Romæ, Typis Michaelis Herculis. 1671.

Superiorum permissu.

Eminentiſsimo ac Reuerendiſsimo

PRINCIPI
D. IO. NICOLAO
S.R.E. CARD.
DE COMITIBVS

Fauſtus Naironus Baneſius Maronita fœlicitatem.

CVM Orientẽ, Eminẽtiſſime Princeps, vſq; de an. 1650. peragrauerim, cùmque varia ductus curioſitate adnotauerim, hanc, inter alia, potionem, quæ Cahue, ſeu Cafè nuncu-

patur diligenter exquisi-
ui, & quę de hac vti
oculatus testis vidi, au-
diui, & expertus sum, en
paucis pro bono publi-
co exhibeo lineis, quas
ideò non nisi Tibi, qui
summo populorum ap-
plausu in Tuis susceptis
muneribus, bonum pu-
blicum, & in temporali-
bus, maximèque in spi-
ritualibus fouisti sem-
per, ac foues, humillimè
offero. Ne igitur hoc
meum pro bona valetu-
dine dedigneris munus-
culum

culum, pro ea enim tuẽda, nequaquam quantitas in medicamine attẽ-..ur, ſed qualitas, quæ etſi tenuiſsima extaret, tanto ſub Principe grãdior euadet, atque perfectior. Vale.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Magistro S.A.P.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Hiacynthus Libellus Magister S.A.P.

Ad

Ad Lectorem.

NOVVM hoc potionis genus Cafè, per Europam, modòq; per hanc Romanam Vrbem diffusum, nonnullos ex Ciuibus terruit, de eius qualitate, ac bonis effectibus prorsùs ignaros; Ideoque Potionem hanc pro tua securitate, benigne Lector, hoc breui discursu libētissimè propinandā ego met suscepi, vt ea liberè vtaris; Experientia enim docet, Toti Orienti, qui non est minima Terrarū pars, multùm profuisse, ac prodesse; quare vt omne à te dubium expellas Tibi his paginis ostendo proprietates huic potioni ad-

dictas, ac bonos pro tua valetudine effectus, experientia, atque Scriptorum authoritate approbatos, & ut facilius ab omnibus intelligantur vulgaribus vſus ſum ſtylo, ac vocabulis. Interim Deus te ſeruet incolumem.

Cum

CVM Deus Optimus Maximus ſaluti, bonæq; mortalium valetudini, atque incolumitati ſit ſemper intentus, vt ab illis omnia illorum opera ſummo dirigantur Opifici, maioribuſque, ac validis viribus diuina eius ab ipſis obſeruentur præcepta, quidquid boni in herbis, quidquid pretioſioris in lapidibus, quidquid perfectioris in animalibus concluſit, ſumma eius munificentia mortalibus tribuit; & quia ſubtiliſſima hominum ingenia omnia naturæ miracula, hoc eſt naturalium rerum virtutes, atque

proprietates adinuenire,
ac perſcrutari nequiuere
mirabilis Deus ſummo erga nos exardeſcens amore incognitas rerum virtutes, cognitas nobis vel fortuitò in pluribus reddidit, vel quod mirabilius eſt rationabilia ab irrationabilibus edocta, ſecretiores, hæc, naturæ effectus, quinimò ipſammet medendi rationem, illa in multis edocuere, ſic Dictamnum herbam ad extrahendas ſagittas, & alia ſimilia ex vulneribus vtilẽ Cerui hominibus monſtrauere, vt notat Matthiolus in 2. Dioſcoridis; obſeruatum enim fuit in Regno

Cretæ

Cretę à Venatoribus, Ceruos paſtu illius herbæ tela eijcere ex vulneribus.

Chelidoniam viſui ſaluberrimam ait Polidorus Virgilius lib. 1. cap. 21. hirundines docuere, oculos enim pullorum vexatos illa medentur, & ſubdit Apros in morbis hedera ſibi mederi: Muſtela in anguium venatu ruta ſibi ſalutem quærere, & Ciconiam origano.

Ab Hippopotamo, hoc eſt Equo fluuiali (quod eſt animal in Nilo) Medici mittere in morbis ſanguinem; quod phlebotomare vocant didicerunt, aſſidua namque ſatietate gra-

uedinosus factus, exit in littus, recentes arundinum cæsuras perspeculaturus, atque vbi acutissimum videt stipitem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluuio sãguinis morbidum corpus exonerat, plagam verò rursùs limo obducit, sic habet idem Polidorus, & Matthiolus locis citatis.

Ibis est quædam auis soli Aegypto peculiaris, & Ciconiæ non absimilis, quæ vt tradit Plinius lib. 8.cap.27. Clysteris vsum prima cõmonstrauit, quòd consuetudinem habeat se repurgandi rostri adunci-

tate

tate, eam perluens partem, qua ciborum onera redduntur.

Galenus lib. 11. de simplicium medicamentorum facultatibus ait, cùm quidam Messores, diurnum post laborem voluissent se reficere vino, relicto in agro in quodam fictili, & dum pro more impleuissent craterem, vna excidit Vipera mortua, quarè attoniti Messores, veriti, ne quod si bibissent indè sibi malum eueniret, suam quidem sitim aquæ potione sedare maluerunt; Cæterùm cùm illinc discessissent præ humanitate, ac misericordia, homini cui-

dam

dam Elephāti morbo (qui eſt quoddam perniciosſioris Lepræ genus)obnoxio, vinum illud largiti ſunt, rati expediri illi potius mori, quàm viuere in ea miſeria; at ille vbi bibiſſet admirabili modo ſanitati reſtitutus eſt, vndè factum eſt, vt in horum morborum curatione, vinum viperatum adhibeatur, & ſubdit Galenus paulò inferius hoc eſſe experientię fortuitæ documentum.

Pari ratione dicendum eſt, hāc potionem Cahue, ſeu Cafè nūcupatam fuiſſe fortuitæ experiētiæ documentum, vti ex narrandis patebit.

Con-

Conquerebatur enim quidam Camelorum, seu vt alij aiunt, Caprarum Custos, vt communis Orientaliũ fert traditio,cum Monachis cuiusdã Monasterij, in Ayaman Regione, quæ est Arabia Fęlix, sua armenta non semel in hebdomada vigilare, imò per totam noctem, præter consuetum saltitare; Illius Monasterij Prior curiositate ductus, hoc ex pascuis prouenire arbitratus est, & attentè considerans vnà cum eius socio locum vbi Capræ, vel Cameli illa nocte, qua saltitabant pascebantur, inuenit ibi quædam arbuscula, quorum

rum fructibus, seu potius baccis vescebantur; huiusce fructus virtutes voluit ipsemet experiri, ideoque illos in aqua ebulliens statim illorum potum noctu vigilantiam excitare expertus est, ex quo factum est, vt à Monachis quotidiè adhiberi propter nocturnas vigilias iusserit, vt promptiores ad noctis assisterent orationes; at quia ex hoc quotidiano potu, cùm varios ac saluberrimos pro humana salute, ac bona valetudine effectus in dies experirentur, per vniuersam paulatim regionem illam, deindè per alias Orientis Prouin-

uincias, ac Regna temporis progreſſu nouū huius potionis genus, fortuitò, ac mirabili Dei prouidentia ea diffuſum eſt ſalubritate, vt ad Occidentales etiam, ac præſertim Europæas peruaſerit plagas.

Primos igitur huius potionis Inuentores ex Caprarum, ſeu Camelorum, vt ita dicam nutibus, ſupradictos ferunt extitiſſe Monachos Chriſtianos, vt ipſimet Turcæ fateri vt plurimum aſſolent, in quorum gratiam, animique obſequium pro illis fundunt preces, ac præſertim Turcæ illi, qui ſunt

huius potionis miniſtratores, ac diſtributores, proprias enim hi, ac quotidianas habent precationes pro *Sciadli*, & *Aidrus*, quia hæc ſupradictorum Monachorum fuiſſe nomina, afferunt.

Magna horum arbuſculorum copia in Arabia Fælici inuenitur, quæ fructus ferunt ad inſtar Cacao, ſed ſciſſos per longum ſicut os Dactyli, binique diuidũtur in eadem cortice, qui fructus duo ſortiuntur nomina, primũ eſt nomen fructus, ſecundum autem potionis; fructus igitur vocatur Ban, & & Ben, Bon, & Bun, eo

quia

quia Arabes cū nōniſi lit-
teras conſcribant conſo-
nantes, ideoq; ſcribant
ن! cum teſcdid ſuper lit-
teram *n* quod ſignum in
pronunciatione habet vim
reduplicandi illam litte-
ram, ſuper quam eſt teſc-
did, & legitur quaſi cum
duabus literis *n* ſic Bnn;
ſuper quas litteras conſo-
nantes æque benè cadit
vnaquæque dictarū voca-
lium, ideoque alij legunt
Ban, & Ben, vti nonnulli
ex Orientalibus, alij Bon,
vt Alpinus, alij Bun, ſeu
Bunch vti Cotouicus, &
Auicenna, ſicut inferius
ſuo loco videbitur. Sed
poſtquam hæc ſemina cō-

trita ebulliunt in aqua, nuncupantur Cahue, ſeu Cafè, non ſecus ac frumentum, quod poſtquam molitur mola, non amplius frumenti, ſed farinæ nomen retinet; ſic etiam potio, quæ fit ex vua vocatur vinum, & non vua, licèt vinum non ſit aliud quàm ipſamet vua expreſſa: nomen enim Cafè non fructus, ſed potionis eſt nomen.

In duas diuiditur ſpecies, vna namque in albũ tendit colorem, altera in citrinum ita obſcurum, vt videatur tendere aliquantulum in viridem, & hæc eſt alia præſtantior, ac perfe-

fectior, quia in ebullitione, eius aqua valdè oleosa apparet: de hac duplici specie loquitur etiam Auicenna lib.1.tract.2. vti suo loco patebit. Duas habet cortices, prima exterior nigra, secunda & interior alba, cuius conficiendæ potionis hic est modus.

Semen hoc, seu fructus debet in puluerem prius redigi, & vt facilius conteratur, igne in lagena, aliquantulum vstulatur, donec in colorem vertatur violaceum obscurum, si enim penitus exsiccaretur nullius esset roboris, quare ne comburatur, cocleari,

clcari, ſeu alio inſtrumento continuò commiſcetur, & ſtatim in mola truſatili, ſeu in marmore piſtillo ligneo ſubtiliſſimè contunditur,& ſubcerniculo cernitur, ponitur que in aqua ebullienti in vaſe ſtamni, quod Italicè dicitur *Cucumo* , ſeu in fictili vitriato, vel vti in Aegypto in vaſe lapideo cælis elaborato ; & quia ſtatim ac puluis hic in aquam funditur ebullientem egurgitatur, ideo vas ab igne amouetur, aliquando per duas, vel tres vices, quouſque puluis incaleſcat,& in aqua cōmiſceatur; tunc enim poſtquam aliquantu-

tulum ebulliuerit, bibitur sic ebulliens, vel potius guttatim sorbetur in fidelijs, seu scutellis, & fęces, quę in illis remanent abijciuntur.

Non solet ab Orientalibus sumi ieiuno ventre, tunc enim flauam bilem commouere aiunt, dum enim eam sumere cupiunt de mane, comedunt prius frustum, seu pauxillum panis, aut quid simile.

De quãtitate huius pulueris ponenda non datur regula certa, sed vt plurimùm in tribus libris aquæ solent poni duæ pulueris vnciæ, & qui in fundo remanetinseruit etiã pro sequen-

quēti die cum pauca eiuſdem pulueris additione.

Centum ferè ab hinc annis frequentior huius potionis vſus in Aegypto cæpit vigere, quod deducitur ex Authoribus, qui Turcarum mores, cibos, ac potiones ſcripſerunt, qui antè ſupradictum tēpus enumerando varias Turcarum potiones, nullam de Cafè mentionem faciunt, vt videre eſt in Ludouico Baſſano, qui ſcripſit de anno 1545. in Ioanne Antonio Menauino de anno 1548. & in Franciſco Sanſouino lib. 1. & 3. hiſtoriarum Turcicarum de anno 1563. tres

tan-

antùm enumerant Tur-
arum potiones, nimirum
orbettum, quod fit aqua
accharo diluta, vel ſucco
itrinorum mixta; Secun-
la eſt illa, quæ vocatur
Sciosaph, quæ componi-
ur ex melle, & vuis paſſis
qua mixtis; Tertia eſt
Pecchmez, quæ fit ex mu-
to coĉto aqua diluto.

Iacobus tamen Coto-
icus Vltraieĉtenſis in ſuo
tinerario Hieroſolymita-
no anno 1598. inito, poſt
rium ſupradiĉtarum po-
ionum enumerationem,
iſſerit etiam accuratè de
uarta, quæ eſt Cafè, vti
ic inferius videbitur.

Quid autem de hac po-

tione Authores diſserant, & quid de eius ſentiant qualitate, atque effectibus, legenti ex dicendis, atque adnotandis patebit.

Auicennam citat Alpinus locutum fuiſſe de hoc ſemine, ſed vbi de illo diſſerat non eſt notatum; puto tamen Bunch, de quo Auicenna loquitur lib. 1. tract. 2. eſſe verè hoc ſemen, de quo tractamus, primò, quia apud Arabes vocatur etiam Bunch, vti notat Iacobus Cotouicus cap. 7. Itinerarij Hieroſolymitani, vbi de hac loquens potione ſic ait, *Cahua*, *ſeu vt alij volunt Bunnu*, *ſeu*

Bunch

nch . Secundò, quia eę-
m proprietates, ijdem-
e effectus, qui sũt huic
dicti ſemini, ſunt etiam
ic Auicennæ Buncho
oprij , & inuenitur in
ſamet Regione, hoc eſt
Ayaman , ſeu Arabia
lici , ſic enim habet in
co ſupracitato . *Bun-*
um quid eſt , eſt res de-
ta de Iamen , quidam
ıtem dixerunt , quod ex
ıdicibus Anigailen , cùm
ıtiquatur cadit . Electio,
ıelius eſt citrinum , & leue
oni odoris ; album verò, &
raue eſt malum . Natura
ſt calidum & ſiccum in pri-
ıo , ſecundùm quoſdam eſt
frigidum in primo. Opera-

 tio-

tiones, & proprietates; *confortat membra*. Decoratio, *mundificat cutem*, *& exſiccat humiditates, quæ ſunt ab ea, & facit odorem corporis bonum, & abſcindit odorem Pſilothri*. Membra nutrimenti: *eſt bonum ſtomacho*.

Eiuſdem opinionis videtur eſſe Ioãnes Veslingius, qui in adnotationibus in Bon Alpini cap. 16. ait, *eumque Buncho Auicennæ arbitrantur*.

Sed forſan quis contra aſſerta arguet, fructum hunc, ſeu ſemen minimè ex radicibus naſci, ſed ex arbuſculis, ideoque hunc fructum *Bunch* Auicennæ, quem

quem ex radicibus Anigailen colligi ait,non conuenire cũ noſtro hoc Bon, de quo diſſerimus .

Pro huius difficultatis ſolutione notandum eſt : textum Arabicum Auicẽnæ, ex quo deſumptus eſt præfatus textus Latinus duplicem habere ſenſum ; In textu enim Arabico non legitur *Anigailen* , ſed ام غيلان *Am Gailan* , quod in duas diuiditur dictiones,& non legitur ſub vnica tantùm dictione , vti habetur in textu Latino ; at quia *Am* in idiomate Arabico explicatur, *ſeu*, *vel* , ideoque hæc Auicennæ au-

thoritas poteſt ſic explicari, *Bunch eſt res delata de Iamen, quidam autem dixerunt ex radicibus, ſeu ex Gailan*, quod forſan eſt quoddam illius Regionis arbuſculum.

Secundò *Am Gailan* quamuis duæ ſint dictiones, poteſt tamen eſſe cuiuſdam arbuſti nomen, vti vult Antonius Giggeius in Theſauro Linguæ Arabicæ, & licèt legatur *Bunch, eſt ex radicibus Am Gailan*, debet hìc intelligi, fructus nequaquam eſſe in radicibus, ſed in arbuſto *Am Gailan* nuncupato; ſi enim eſſet in radicibus, immediatè non lege-

legeretur, *cùm antiquatur*, *cadit*; dum enim dicitur fructus cadere, presupponitur ab alto cadere, igitur ex arbusto, & non ex radicibus, quæ sunt sub terra; isti namque fructus verè colliguntur, & cadunt dum antiquantur, seu exsiccantur. Cæterùm Auicenna quidquid dicat in hoc textu, an iste fructus sit ex radicibus, vel ex arbusculis pro certò non habet, refert enim tantùm nonnullorum opinionem, quod clarè deducitur, dum dicit, *quidam autem dixerunt*; supradicta ergò ex se minimè profert.

Præfatus igitur Iacobus Cotouicus in fine capitis ſeptimi Itinerarij Hieroſolymitani ſic ait: *Ad hæc quotidiana quadam vtuntur potione, quam* Cahua *Arabicè indigitant, Itali Cauo; aqua hæc inſtar atramenti nigra, guſtu amara, in herba cuiuſdam ſemine (cui Cahua, vel vt alij volunt Bunnu, ſeu Bunchi nomen eſt, & in Aegypto copioſiſſimè naſcitur) decocta, ſtomacho prodeſſe, corroborare cerebrum, ac noxium expellere humorem fertur; Semen id mola truſatili prius contuſum, vel cote contritum, aqua decoquitur in hunc ferè modum;*

Seſ-

Sesquilibram seminis viginti libris aquæ immiscent, quã ad dimidiæ partis consumptionem bullire sinunt, eamque calidissimam, ac ferè bullientem fidelijs Indicis, vulgò Porcellanis bibunt, vel potius guttatim sorbent, sibique inuicem propinant tàm lentè, ut interdum integra hora unam fideliam vix epotent exhauriantuè, quod quidem ea se ratione facere asserunt, ne simul, & fæces, quæ paulatim sidunt, ebibant, eas siquidem uti noxias absorpta aqua abijciunt. Sunt ex plebe quamplurimi, qui bazarros, viasque publicas matutino præsertim tempore percurrunt,

aquam hanc venalem circumferunt, & foculo ſuppoſito calefaciunt, calefactam poſcenti porrigunt, nec niſi calidiſſimam præbent. Nulli ſiquidem vitio vertitur aut dedecori, cuiuſcunque demùm conditionis, aut religionis ſit, ſi eam in publico bibat; ad publica verò diuerſoria ſingulis ferè horis, aquæ huius (cuius ſunt appetentiſſimi) potandæ cauſa infiniti conueniunt, & confabulationibus terunt tempus.

Quòd autem iſte Author ait de aqua huius potionis, quòd videlicet ad dimidiæ partis conſumptionem bullire ſinatur,

tur, modò non attenditur, dum ſatis eſt, vt vnà cum puluere aliquãtulum ebulliat.

Proſper Alpinus Medicus Venetus in lib. de Plantis Aegypti cap. 16. ſic ait: *Arborem vidi in Viridario Alibei Turcæ, cuius tu Iconem nunc ſpectabis, ex qua ſemina illa vulgatiſſima Bon, vel Ban appellata producuntur, ex his omnes tùm Aegyptij, tùm Arabes parant decoctum vulgatiſſimum, quod vini loco ipſi potant, venditurque in publicis œnopolijs, non ſecùs quàm apud nos vinum, illique ipſum vocant Cahua. Hæc ſemina ex Fœlici Ara-*

bia asportantur ; Arbor , quam me inspexisse dixi, Eunomo similis obseruata est, sed tamen folia crassiora, durioraque habebat, viridiora, perpetuoque virentia. Vsus est illorum seminum omnibus notissimum; ad parandum iam dictum decoctum, quod quo pacto ab illis paretur aliàs à me dictum est. Vtuntur tamen eius decocto ad roborandum ventriculum frigidiorem, adiuuandamque concoctionem, & non minus ad auferendas à visceribus obstructiones, in tumoribus hepatis, lienisque frigidis, & antiquis obstructionibus fœliciori cum successu decoctum

mul-

multos dies experiuntur, quod etiam vterum maximè respicere videtur; ipsum enim excalefacit, obstructionesque ab eo aufert, sic enim familiari vsu est apud omnes Aegyptias, Arabesque mulieres, vt semper dum fluunt menses ipsorum, vacuationem huius decocti feruentis multum paulatim sorbillantes adiuuent ad promouendos etiam in quibus suppressi sunt. Vsus huius decocti purgato corpore multis diebus vtilissimus est.

Auicenna de his seminibus meminit, similesque, vel eosdem vsus à me narratos memoriæ prodidit, ipsumque semen calidum in tertia, &

siccum

ſiccum in ſecundo gradu conſtituit, quod tamen verum non videtur, quando ſemen ſapore dulceſcat cum paruo amarore, nullamque acrimoniam præſeferat; nihilominus ipſum obſtructionibus viſcerum, frigidiſque tumoribus hepatis, vel lienis multum conferre docuit, ſed ait ſtomacho nauſeam concitare, pituitamque purgare, atque multa alia hæc ſemina præſtare experientia penès Aegyptios didici, atque hæc eſt Arbor, quam Cayri olim inſpexeram.

Ioannes Veslingius in adnotationibus in præfatum caput 16. Alpini, putat Bon eſſe Bunch Auicennæ

cennæ, fateor enim idem esse Bon, & Bunch, sed citatio Alpini non conuenit cum Buncho Auicennæ; tradit enim Alpinus, opinionem Auicēnæ esse, quòd hoc semen sit calidum in tertio, & siccum in secundo, & idem Auicenna loquens de Buncho, vti superius innuimus ait, quod est calidum, & siccum in primo, secũdum quosdam est frigidum in primo; manifestè ergo deducitur Alpinum dum Auicennam citat, nullo modo loqui de Buncho, sed de aliquo alio semine vsque adhuc mihi incognito, & à me non

non inſpecto eo quia ab Alpino locus Auicennæ non citatur.

Ioannes Bahuinus in hiſtoria Plantarum lib. 8. cap. 21. loquitur de Calaf, ſeu Ban Alpini, ideoque aliqui arbitrati ſunt, eſſe hunc fructum Bon; gratis autem hoc illos aſſerere colligo; nam idem Alpinus diſtinguit Calaf, ſeu Ban, à fructu Bon: diſſerit enim de primo cap. 15. & de ſecundo cap. 16. quod etiam apertè colligitur ex ſubſequẽtibus, citat nimirùm præfatus Author Bellun. qui in interpretatione Arabicorum nominum ait, hoc

ar-

arbuſculum fructus non, ferre, ſed tantùm flores, ex quibus inquit Alpinus diſtillari aquam *Macalef* vocatam, ex quibus euidentiſſimè deducitur arbuſculum Calaf, ſeu Ban, de quo loquitur Bahuinus, non eſſe arbuſculum Bon, hoc enim fert fructus, non autem flores, vti vſque adhuc demonſtrauimus.

Petrus *della Valle* tùm nobilitate, tùm in conſcribendis accuratè ſuis itineribus celeberrimus in epiſtola tertia Conſtantinopoli conſcripta die ſeptima Februarij 1615. inter Turcarum potiones

enu-

enumerat *Cahue*, & ait, illam multùm conferre sanitati, adiuuat nimirùm concoctionem, ventriculum corroborat, ac fluxiones reprimit catarrhales; post cœnam si sumatur incitat vigiliam, ideoque prodest illis, qui noctu studere cupiunt.

Dominicus Magrus Melitensis in epistola ad Eminentissimum Cardinalem Brancaccium conscripta, differens de Cafè, post fructus descriptionem, de eius qualitate, atque effectibus sic sentire videtur, nimirùm quod semen hoc ex sui natura est calidum, & siccum, ideoque cor-

robo-

roborat vẽtriculum, adiuuat concoctionem, dummodo vna hora post cibum sumatur, prodest catarrho, ac mirabiliter capitis leuamini, expellit somnum, ac pro studentium vigilijs proficuum est, sensus venerei motus etiam reprimit, hominemque castum seruat, prodest magis hyeme, quàm æstate, eiusque sumptio efficacior est sine corticibus ipsiusmet seminis; Orientales Cafè bibunt omni tempore, imò etiam in mensis vini ad instar, & illi, qui hac vtitur potione maximum erit iuuamen, & potest liberè sumi

mi per quatuor vices in vna hebdomada, quia nunquã auditum est alicui nocuisse; & paulò inferius subdit; aufert obstructiones, & opilationes, & experientia nos docet Cafè fluxiones expellere catarrhales, aliasque infirmitates ex Iecoris fodina prouenientes, & hæc absque stomachi nocumẽto operatur: quamobrem Turcæ vt plurimùm nunquam fluxionibus, neque dentium dolore, nec Podagrà, neque similibus laborant morbis.

Idem Author affert epistolam cuiusdam Medici Constantinopoli exaratam

ratam ad quendam virum illuſtrem Epidaurum, in qua variæ leguntur huius potionis ſequentes proprietates, atque effectus: prodeſt mulierum menſtruis, illiſque pulcherrimum confert carnibus colorem, viuacitatem oculis, alijſque corporis partibus; prodeſt etiam morbis hemoroidalibus, nec non Viatoribus, qui hac vtuntur potione, laboribus enim reſiſtunt diei, ac ſiti, noctiſque vigilijs; proficua etiam eſt pro dolore Podagræ, pro diminutione, & prouocatione menſtrui, & quamuis omnes ſint effectus inter ſe

con-

contrarij, nam vigilia, quæ omnes auget dolores, nequaquam Podagræ dolorem deberet minuere; sitis humido moderatur, & vigilia sicco souetur, & tamen hos duos contrarios effectus, se expertos fuisse ait. Deindè subdit, ab omnibus humoribus aufert opilationes, & reprimit vapores stomachi ad caput, & concludit debere sumi simpliciter, & sine saccharo, cuius opinionis est etiam præfatus Dominicus Magrus in eadem epistola.

In Relatione huius potionis impressa primùm Lon-

Londini in Regno Angliæ, & posteà Genuæ, Florentiæ, & hoc anno hìc Romæ legitur; semen hoc esse frigidum, & siccum, & quamuis exsiccet non calefacit, neque inflammat, adiuuat concoctionem, spiritus viuificat; eius fumus prodest oculorum morbis, fumos reprimit internos, ac per consequens capitis dolores, fluxiones impedit catarrhales, quæ ex capite descendunt in stomachum, præseruat hominem à tabe, & aufert tussim inflammationis pulmonum.

In Anglia experientia do-

docuit, illi Regno, postquam hac vsa est potione multùm profuisse, ac præsertim in Hydropisia, Podagra, ac alio cuiusdam morbi genere ab Anglis *Scuroÿ* vocato.

Experitur omnibus potionibus exsiccãtibus perfectior pro senibus, & pueris, qui humoribus patiũtur frigidis.

Prodest mulieribus prægnantibus, vt benè partus ferant, atque etiam illis, quæ menstrua amiserunt per tres, vel quatuor menses.

Valdè proficua est pro morbo splenis, seu pro opilationibus, ventositatibus

tibus

tibus hippocondriacis, & pro his ſimilibus.

Impedit ſomnum, ideoque qui non vult vigilare, illam poſt cęnam non ſumat.

Obſeruatum eſt in Turcarum Regionibus, vbi continuò hæc potio ſumitur, non regnare neque morbum Calculorum, neque Podagræ, neque hydropiſiæ.

Non eſt relaxatiua corporis, neque aſtringens.

Ioãnes Veslingius addit hanc valdè prodeſſe cùm cor, aut ventriculum languor occupat.

Iſtæ ergo ſunt ex præfatis Authoribus Cafè ſa-

lubres pro humana ſalute qualitates, atque effectus, quorum aliquos egomet cùm Orientales an. 1650. perluſtrauerim plagas expertus ſum; multùm enim pro concoctione cibi, pro corroboratione ſtomachi, ac pro noctis vigilia mihi profuit.

Pater Ludouicus Giannius è Societate Ieſu, Regni Galliæ Subſtitutus, mirabilia de hac narrabat potione, & ipſe forſan inter primos hìc Romæ illa vſus eſt, & iam ſenex omnibus reſtitit laboribus diei, & noctis in ſuæ Religionis negotijs, & fatebatur ſuam bonam vale-

valetudinem ex potione Cafè prouenisse, & sæpè sæpiùs vt illam sumerem me hortabatur; adhuc viuit in Gallijs octuagenarius.

Idem planè mihi afferebat Antonius Sangiorgius nobilis Bononiensis Cardinalis Bernardini Spadæ familiaris, qui eandem expertus est vtilitatem, ac præcipuè in fluxionibus catarrhalibus, quibus antequam ea vteretur, valdè laborabat, & obijt Romæ ferè septuagenarius.

D. Innocentius ex nobilissima Romanorum de Comitibus familia, Status

Ecclesiastici Locumtenēs generalis, ea non semel in hebdomada me præsente potabat propter cibi concoctionem; hæc tamen illi non profuit ad expellendas quas sustulerat calamitates tùm in belli expeditionibus in Germania sub Ferdinando Secundo, & Tertio Imperatoribus mirè patratis, tùm in Dalmatiæ munimine pro Catholica Religione contra Turcas in ipsismet feruentissimis anni ardoribus, quibus destitutus laboribus adhuc quadragenario maior non sine Europę lacrymis Romæ occubuit.

Quo-

Quomodo autem ex hac potione oriantur effectus contrarij, & isti an proueniant ex qualitate calida & sicca, an verò ex qualitate frigida, hoc Physicis relinquo; obseruandum tamen est; huius potionis colorem nigrum, saporemque amarum non prouenire ex sui natura, sed per accidens propter vstulationem seminis; semen enim ex se est album, adeoque gustui gratum cum aliqua dulcedine, vt vix leuissima percipiatur amaritudo, vti videre est in citato loco Alpini: Ideoque Orientales opi-

nantur, hoc ſemen æquè participare de calido, ac de frigido, hac videlicet ratione; exiſtimant enim cortices huius ſeminis eſſe frigidæ qualitatis, ſed ipſummet ſemen eſſe temperatæ qualitatis, & tendere aliquantulum ad calidam, quod idem videtur annuere Petrus *della Valle* in citata epiſtola tertia Conſtantinopoli exarata, & Ioannes Veſlingius in notis ad caput 16. Alpini, vbi ait: *Qualitatum, quas manifeſtas vocant harmonia in hoc fructu diſpar eſt. Cortex enim frigidi particeps, cum exuperante tamen ſiccitate, nu-*

cleus

ileus verò moderatè calidus; Ille leui quadam aciditate, hic euidenti amaritudine linguæ ſenſum haud inclementer afficit; Itaque nec ſtomacho nauſeam infert, quantumuis largius decoctum hauriatur, nec intenſiore caloris gradu eidem infeſtus eſt, ſaltem modicè torrefiat, atque in marmore piſtillo ligneo contuſum ſit; Corticis decoctum inter æſtiuos ardores rectius febricitantibus exhibetur, rurſumque cum frigidi, & craſſi ſucci, viſcera, communeſque corporis ductus noxio infarctu impediunt, alterum è contuſo nucleo præferendum eſt, haud neglecto

tamen

tamen vtriusque, cùm id exigit, temperamento.

Totum hoc comprobatur, quia in Aegypto, & in Arabia, quæ sunt Regiones magis calidę tempore æstiuo in hac potione vt plurimùm non sumuntur nisi cortices, quę eodem modo ac semen contunduntur, & tempore hyemali ipsamet semina, & in alijs Regionibus minus calidis, vti in Regno Syriæ, sicut ego ipse vidi, sumitur æstate hæc potio vnà cum corticibus, quod in hyeme non fit, tunc enim sumitur sine corticibus, signum ergò euidens est, cortices esse ip-

so